DEO OPTIMO MAXIMO

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA *.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-tertiâ menſis Decembris Anno Domini M. DCC. LXXXI.

M. JOANNE-BAPTISTA-ALEXANDRO MAIGRET, Doctore Medico, Præſide.

An pro diſtinctis ægris, ægritudines diverſæ?

I.

DEMOCRITUS ab *Heraclito*, ſi perſonâ diſtinguitur; ſpecie tamen non differt. Uterque, Homo: corpore pariter & animâ conſtat; vultu licet, aut corporis habitu, diverſus. Mortalis, quid interſit mortali, non omnes callent. Alterum ab altero ex facie internoſcere, cuivis vel bardo promptum. Quod ad communem omnium naturam pertinet, aſſequi etiam poteſt vel mediocriter eruditus; ſingulorum verò propriam intropiſcere, pervidere, omnique ex parte exploratam habere conſtitutionem, ne quidem factus ad unguem Medicus. Vulpeculæ parùm abſimiles, lambimus vitreum vas, pultem haud attingimus. Expediat aliquis, ex quo, ſedentibus in concilio cordatis viris, tanta ſit de re unâ, opinionum disjunctio? Undè, tam varii palati convivæ, tam diverſa expectant edulia? Quamobrem, alii carnes, piſces alii, nonnulli vinum tantoperè oderint; dùm liquoris hujus capti dulcedine plurimi, non aliam vitæ voluptatem eſſe putant? Cur, iſte ad caſei, hic ad leporis, ille ad roſæ conſpectum, cohorreſcat, atque contrahatur? Quâ vi, ſenem hunc vehementer odeò urit æſtus Cupidinis; in quo, adoleſcens ille, florentis etſi ætatis & corporis, omninò friget? Quâ de cauſâ, huic ſint lachrymæ, doloris ac miſericordiæ teſtes; illi autem, riſûs & hilaritatis? Tot, tamque diſſidentium effectuum eadem, quæ ſanitatis, & morborum, cauſa: ſimplicium videlicet corporis partium diſpoſitio mechanica; organicarum certa conformatio; determinata omnium functio; conſociatio, unio, conſpiratioque ſingularis.

* Antonius FERREIN, Auctor, ann. 1738.

II.

MUNDUS, ut & homo, ineluctabili naturæ legi obtemperat. Utrique ſui natales, progreſſus, ſenectus; uterque *quaterniorum*, ſeu tempeſtatum anni, vim experitur. In homine pax, bellum, induciæ. Triplex enim, ad mentem veterum, ſtatus hominis conſiderandus venit; ſanus nempè, neuter & morboſus: quibus tota continetur ars medica. In ſtatu ſano, pax: ſi nimis non perfectus. In perfecto, mora difficilis: receditur, ſi non proceditur. Hinc patet periculis εὐεξία. In neutro induciæ. In morboſo, bellum. Morbi, fatales à natura leges quamvis habeant, ita tamen pro diſtinctione perſonarum à ſe invicem diſſentiunt, ut morbum, in omnibus, alteri morbo ſimilem reperire arduum ſit, ne dicam impoſſibile. Quemadmodum è paucis numero litteris diverſiſſimè compoſitis, ingens naſcitur vocabulorum multitudo; ſic è ſimpliciſſimis partium corporis, vel ſolidarum ſtaminibus, vel fluidarum moleculis, vario modo inter ſe, aut contortis, aut permixtis, tot, tamque diſpares emergunt hominum conſtitutiones ac temperies, quot & quàm diverſæ facies eorumdem, aut formæ diſcernuntur. Ab hâc intimâ & peculiari unius cujuſque naturâ repetendi ſunt effectus multiplices, quos tamen admirari aliquatenus facilius, quàm enodare. Nec aliundè profectò eſt, quòd nunc mas; nunc fœmina prodeat in vitæ ſcenam; quòd natorum etiam eâdem horâ, & geminorum ſanitas ingeniumque adeò diſcrepent; quòd ſtabilis conſtanſque ſit unius valetudo; alterius prorſùs vitrea, æquè ſplendens, ac fragilis; quòd quibuſdam nihil in victu delinquentibus, anguſtioris vitæ floſculus decurrat quàm celerrimè; aliis diutiùs, etſi perturbatè, in vitâ manentibus; quòd venientes ac recedentes anni, multa ſecum ferant commoda, vel incommoda.

III.

AB eodem conſtitutionis, ac temperiei fonte, morbi trahunt originem. Par ſanitatis & ægritudinum ratio. Quilibet mortalis, quem totum à nativitate morbum eſſe pronuntiavit *Hippocrates*, bellum continuò fovet inteſtinum: id alunt res naturales & non naturales. Hinc, juxtà neotericos aliquot, morbus parùm à ſanitate diſtat. In utroque ſcilicèt ſtatu laborat natura, nititurque, vel quod noxium eſt foràs expellere, vel quod eſt devium, ad recti normam revocare. Calor aut motus, qui vitæ genitor fuit atque conſervator, author fit & necis. Sanus igitùr dicendus homo, ubi minoribus urgetur œrumnis ac miſeriis; ægrotare verò, cum, vel temperiei, vel conformationis, vel ſolutionis continui vitio quodam graviſſimo detinetur. Hæc tria vulgò ſtatuuntur ſumma morborum genera, à quibus niſì, qui curandum accedit, deſcendat per ſubjectos gradus ad infima, ſua ipſi ars inanis futura eſt: quamvis ad manum ſint omnia, quibus morbus κατ᾽ εἶδος debet oppugnari, præſidia. Ut planè unus ille ſanos homines perſpectos habet, cui, quid commune ſit omnibus, quidque proprium ſingulis, penitùs notum

eſt ; ità , is tantùm eximiè medentis perſonam ſuſtinet , qui communem ac totam morbi cujuſque notionem , inſupèrque ſingularia illa , quæ in nullum alium hominem convenire poſſunt , gerit in animo conſignata. Quot præterea modis inter ſe variant ægritudines , ratione ſexûs, ætatis , conditionis , regionis , anni tempeſtatis ; conſuetudine ac vivendi genere ; aliiſve innumerabilibus adjunctis , quibus animalis œconomia multifariàm alterari valet atque labefactari ?

I V.

PATHOLOGIÆ prima pars , morborum differentias præſertim inveſtigat. Mirum ſanè , quot ab authoribus generales inventæ fuerint pravorum affectuum claſſes , ad quas , læſiones quaſlibet ſingulorum referri poſſe judicaverant. At ægritudinum ſivè naturam aut eſſentiam , ſivè proprietates aut accidentia perpenderis attentiùs , nonne morbos , ſpeciei quantumvìs ejuſdem , longè multùmque inter ſe diſcriminari fateberis ? Quàm difficilis enim eſt , quàm lubrica & operoſa ſimilitudinum , peritis etiam imponentium , aut diſſimilitudinum intelligentia ? Vis illud , in apertam lucem vocatum , antè oculos tibi ſtatuere ? Latè fuſum febris nomen , (ut indè ſpecimen capiatur ,) ſit licet ad eam , quæ quarto quoque torret die , contractum ; adhùc vana eſt imago morbi , cujus mille diſcrimina : quapropter cave de illius moribus , exitu , & curatione quidquam ante proferas , quàm liqueat , ſit domeſticus , nec ne ; quâ parte anni , quâ ratione degentem corripuerit ; tenuis an firmæ valetudinis hominem , puerum , juvenem annoſumve ſenem ; marem ,an fœminam : hancque , gravidam , puerperam , vèl intactam ; illum , gracilem , an obeſum ; otio diffluentem , an curis , aut labore confectum exerceat ; quo ſub cælo is natus , eductuſque ſit ; quale ſolum calcet ; quem ore ducat aërem ; quibus ſe paſcat cibis ; an hos , aut illos appetat , vèl nullos. Neque hìc conſiſtendum : ipſa quippe , quæ febrem circunſtant mala , ejus quoque produnt ingenium ; ſcire ut permagni referat , paucarum ſit , an multarum horarum ; ſub eâ ne integra ſint , an corrupta , aut effæta viſcera ; num vomitus , tuſſiſque ægrum quatiant ; fuſior ſit , ſubſiſtàt ne alvus ; adſint ſitis , ſudor , vigiliæ ; an contrà , veternus occupet. Quis autem hæc omnia , ut in hominum genus univerſum cadere queant , nullo non variari in corpore , negaverit ?

V.

CUIVIS itaque mortalium , ſua ut propria indoles , ſuus ut genius ; ſic & ſui morbi. Quàm diſpar ſanorum conſtitutio , temperies , & natura ; tam diſſimiles ægrorum ægrotationumque formæ ac ſpecies. Quàm multiplex latentium intùs fibrillarum , aùt humorum conditio , tam varia indè exortorum affectuum ratio. Hinc tantus labor , totque exorbendæ difficultates ritè medendi ſcientiam profeſſo : ut , niſi hæc ſingula venetur , & intento animo

cernat, agitet, atque ad invicem comparet, ſuum cuique malo remedium aptaturus, medici titulum temerè ſibi arroget. In ultimas igitùr terras exportentur eorum omnium rudes iſti homunciones, veriùs fungi, qui, naturæ quoque totius ignaros homines, ſæpiùs, magnas inter opes, à rectâ mente inopes, perniciosè ludificant: unico adversùs quaſlibet ægritudines nunquam non uſi pharmaco. Omnibus enim hominibus, etiam ſanis, ſi non conveniat una eademque vivendi norma: quî, morbis eorumdem curandis, unum idemque remidium tutò poterit accommodari? Cum immo, vèl ejuſdem ſpeciei diſtinctas ægritudines, adhibito indiſcriminatìm ſpecifico, ut aiunt, medicamento, ſæpiſſimè non ſanari, quotidianâ conſtet experientiâ. Non itaque ſapiet in rebus medicis; niſi qui primùm, conſideraverit hominem intùs & in cutè; deîn, quanta ſit in eo, ex ætate, ſexu, habitu, educatione, ſtatu, exrcitiis, ſolo, victu, regione, varietas, poſteà, quàm diverſis pravorum affectuum, tùm corporis, tùm animi, generibus is oppugnetur; ac tandèm, nobiſcum concluſerit:

Ergò, pro diſtinctis ægris, ægritudines diverſæ.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Carol.-Nicolaus D'ESLON, *Sereniſſimi Comitis Atrebatum Medidus ordinarius.*

M. Anton.-Joann.-Baptiſt.-Maclovius GUENET.

M. Paulus - Gabriel LE PREUX.

M. Ludovicus - Claudius GUILBERT, *è Societate Medicâ Edimburgenſi, antiquus Regis exercitûum Medicus ordinarius.*

M. Edmundus - Claudeus BOURRU.

M. Joannes-Anton. ELIE DE LA POTERIE, *antiquus Regis in Portu Breſtenſi Medicus, nec non Militarium Regni, Noſocomiorum Inſpector.*

M. Edmundus - Thomas MOREAU.

M. Ludovicus-Petrus-Felix-Renatus LE THIEULLIER, *antiquus Facultatis Decanus.*

M. Petrus - Maria MALOET, *Eques, in Sacro Conſiſtorio Regis, Senator; Auguſtiſſimarum Galliarum Principum Regis amitarum natu minorum Archiater.*

Proponebat Pariſiis LUDOVICUS-CYPRIANUS DE MONTAIGU, Trecenſis, Saluberr. Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1781. AB HORA OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerſit. & Facultatis Medicinæ Typographi 1781.